



**HYMNUS PRO SANCTIS
HEMETERIO, ET CELEDONIO,
MARTYRIBUS CALAGURRITANIS, CIVITATIS,
& Diœcesis Calagurritanæ, & Calciatensis Patronis.**

**Aucthore Aurelio Prudentio Clemente Calagurritano.
eiusdem Civitatis, & Diœcesis Episcopo.**

**Apud PP. Bollandum, Henschenium, & Papebrochium
Societatis Jesu in acta SS. Martij, tom. 1. pag. 229.
& Franciscum de Bivar in Commentario ad
Dextri Chronicon.**

T Scripta sunt cœlo duorum Martyrum vocabula:
Aureis, quæ Christus illic annotavit litteris
Sanguinis notis, & idem scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem terra Ibera stemmate?
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo:
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum:
Hic calentes auxit vndas cæde tinctus duplici.
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant, obsecrantes voce, votis, munere?
Exteri necnon & orbis huc colonus advenit,
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,
Hic Patronos esse mundi, quos precantes ambiant.

A

Nemo

Nemo puras hîc rogando frustra congestit preces.
Lætus hinc ter sis reversit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit, impetratum sentiens.

2 Tanta pro nostris periculis cura suffragantium est:
Non sinant inane ut ullus voce murmur fuderit.
Audiant, statimquæ ad aurem Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt:
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus;
Testibus, quos nec catenæ, dira nec mors terruit,
Unicum Deum fateri sanguinis dispendio:
Sanguinis sed tale damnum lux rependit longior:
Hoc genus mortis decorum est: hoc probis dignum viris,
Membra morbis excedenda, texta venis languidis,
Ostico donare ferro, morte & hostem vincere.
Pulchra res, ictum sub ense persecutoris patis:
Nobilis per vulnus amplum porta iustis panditur.
Lota mens in fonte rubro sede cordis exilit.

3 Nec rudem crudi laboris antè vitam duxerant
Milites: quos ad perenne cingulum Christus vocat.
fuenta virtus bello & armis militat sacriarijs.
Cæsaris vexilla linquant, eligunt signum crucis.
Proquæ ventosis draconum, quos gerebant, pallijs,
Præferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.
Vile censent expeditis ferre dextris spicula,
Machinis murum ferire, castra fossis cingere,
Impias manus cruentis inquinare stragibus.

4 Forte tunc atrox secundos Israelis posteros

Ductor aulae mundialis ire ad aram iusserat,

Idolis litare nigris, esse Christi defugas.

Liberam succincta ferro pestis vrgebat fidem.

Illa virgas, & secures, & bisculcas ungulas

Ultro fortis expetebat, Christi amore interrita

Carcer illigata duris colla boijs impedit.

Barbaras forum per omne tortor exercet manus.

Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.

Tunc & ense caesa virtus triste percussit solum,

Et rogis ingesta mœstis ore flammæ forbuit.

Dulce tunc iustis cremari, dulce ferrum perpeti.

5 Hic duorum chara fratrum convalescunt pectora;

Fida quos per omne tempus iunxerat sodalitas.

Stant parati ferre quidquid fors tulisset ultima:

Seu foret præbenda cervix ad bipennem publicam,

Verberum post vim crepantium post catastas igneas;

Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.

Nos ne Christo procreati Mammonæ dicabimur,

Et Dei formam gerentes serviemus sæculo?

Absit, ut cœlestis ignis se tenebris misceat.

Sit satis quod capta primo vita sub chirographo

Debitum persolvit omne, functa rebus Cæsaris.

Tempus est Deo rependi quidquid est proprium Dei.

Ite signorum Magistri, & vos Tribuni assistite:

Aureos auferte torques, sauciorum præmia.

Clara nos hinc Angelorum iam vocant stipendia.

Christus illic candidatis præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto damnat infames Deos,
Vosque qui ridenda vobis monstra divos fingitis.

6 Hæc loquentes obruuntur mille pœnis Martyres.

Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.

O vetustatis silentis obsoleta oblivio !

Invidentur ista nobis : fama & ipsa extinguitur.

Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit:

Ne tenacibus libellis erudita sæcula

Ordinem , tempus , modumque passionis proditum

Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,

Iugibus longum catenis an capillum paverint,

Quo viros dolore tortos , quave pœna ornaverit.

7 Illa laus occulta non est , nec senescit tempore,

Missa quod sursum per auras evolarunt munera,

Quæ viam patere cœli præmicando ostenderent.

Illius Fidem figurans , nube fertur anulus:

Hic sui dat pignus oris (ut ferunt) orarium.

Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum:

Per polli liquentis axem fulgor auri absconditur:

Ac diu visum sequacem textilis candor fugit.

Subvehuntur usque in astra , nec videntur amplius.

Vidit hoc conventus adstans , ipse vidit carnifex,

Et manum repressit hærens , ac stupore oppalluit:

Sed tamen peregit ictum , ne periret gloria.

Iam ne credis bruta quondam Vasconum Gentilitas;
Quam sacrum crudelis error immolarit sanguinem?
Credis in Deum relatos hostiarum spiritus?

8 Cerne, quàm palàm feroces hic domantur dæmōnes,

Qui lupino capta rictu devorant præcordia,
Strangulant mentes, & ipsas, sequè miscent sensibus.

Tunc suo iam plenus hoste sistitur furens homo,
Spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,
Expiandus quæstione non suorum criminum.

Audias, nec tortor adstat, eiulatus flebiles.

Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur.

Crescit & suspensus ipse vinculis latentibus.

His modis spurcum latronem Martyrum virtus quatit.

Hæc coercet, torquet, vrit, hæc catenas incutit.

Prædo vexatus relictis se medullis exuit.

Linguit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit:

Ungue ab imo vsque ad capillum salva reddit omnia.

Confitens ardere sese, nam gehennæ est incola.

9 Quid loquar purgata longis alba morbis corpora,

Algidus cum decolores horror artus concutit?

Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit.

Hoc bonum salvator ipse, quo fruamur, præstitit,

Martyrum cum membra nostro consecravimus oppido,

Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus alluit.

State nunc hymnistæ matres pro receptis parvulis;

Coniugum salute læta vox maritarum strepat:

Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

*Ad res
liquias
Marty-
rum tor-
quentur
dæmones.*

*Energia
mens en-
tatur.*

*Et alij
agri sa-
mantur.*

1 In laudem, & honorem SS. Hemeterij, & Celedonij Martyrum referuntur Authores maioris notæ, & antiquitatis de ipsis SS. Martyribus loquentes, & de eorum vita, martyrio, & miraculis, ac de duplici festo sub ritu duplici, quod in Civitate, & Diocesi Calagurritana singulis annis celebratur. Bollandus, Henschenius, & Papebrochius in actis Sanctorum Tom. 1. die 3. Martij n. 4. afferunt in Ecclesia Gothica celebratos fuisse, secundum Thamayum Salazar, & patere ex Breviario Isidoriano, addunt. que S. Isidorum in benedictione Officij SS. Hemeterij, & Celedonij hanc Orationem tradidisse: Omnipotens Deus, ad-

Oration
de SS. He
meterio,
& Celedonia dicta.
da, y dis-
puesta por
S. Isidoro
Arzobis-
po de Se-
villa, que
se canta
en la
Iglesia
Gothica.

quem Beatissimi Hemeterius, & Celedonius Martyres ob confessionis, fideique signaculum, orarium, atque annulum Cœlis subvehenda misserunt, conservet vos utroque munere gratiarum. Amen. Ut per Vos, & fidei, & confessionis virtute pollentes æterni cœlestis Patrie habeamini Civis quorum hodie geminum Festum celebratis orantes. Amen. Quo sicut alumna Plebs de eorum gemina susceptione corporum gratulatur, sic tota Ecclesia eorum se tueri, ac defendi patrocinij gratuletur. Amen. Idem Franciscus Bivar inscripsit in suo Commentario ad Desvri Chronicon. pag. 314. Idem Missale mixtum dictum Muzarabum, item Brebiarium secundum regulam S. Isidori excussum Toleti anno 1502. & 1551. & in Brebiario Eborensi excuso anno 1548.

Idem Pater Bollandus eodem Tom. 1. 3. die Martij. cap. de reliquiis, & miraculis SS. Hemeterij, & Celedonij §. 1. fol. 233. sic ait: Festum eorum celebrari in omnibus Hispaniis

niæ Ecclesijs, & in hac Calagurritana cum tanta Solemni-
tate, & omnis generis lætitia, ut non putetur dies ille, aut cultu
vilius Sancti superari, aut accessu paucorum Sanctorum adæ-
quari. In ordine recitandi divinum Officium pro anno 36.
& 47. hujus sæculi, præscribitur Calagurritanis sub ritu du-
plici primæ Clasis, sine octava ad 3. Martij, nulla facta eo-
rum mentione ad 31. Augusti, quo die catalogo genera-
li Sanctorum illos Ferrarius ex tabulis, ut ait, Ecclesiæ Ca-
lagurritanæ, quæ illos hac die vti præcipuos Patronos
summo honore prosequitur, forsitan per tabulas Calagurri-
tanæ intelligendus Marieta, qui libro 2. de Sanctis Hispa-
niæ cap. 25. illud scripsit ideo fieri, quod 3. dies Martij
ordinarie cadat in tempus quadragesimale. Eodem illo 31.
Augusti recitari de illis Divinum Officium tradit Gonzalez
Davila. Tom. 2. Theatri Ecclesiastici pag. 336. imo & cor-
pora horum Martyrum Calagurri in Ecclesia Cathedrali ad-
servari: ad quam eorum facta fortassis illo 31. Augusti so-
lemnis aliqua translatio. De quibus præfati Aucthores om-
nino videndi.

